



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtrum veritas sit virtus? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

- ¶ Secundo, utrum sit specialis virtus?
- ¶ Tercio, utrum sit pars iustitiæ?
- ¶ Quarto, utrum magis declinet in minus?

ARTIC. I.

Utrum veritas sit virtus?

**A**D primum sic proceditur: Videtur, quod veritas non sit virtus. Prima enim virtutum est fides, cuius obiectum est veritas. Cum ergo obiectum sit prius habitu, & actu, videtur quod veritas non sit virtus, sed aliquid prius virtute.

¶ 2. Præterea, Sicut Philosophus dicit in 4. Ethicor. \* ad veritatem pertinet, quod aliquis coniteatur existentia circa seipsum, & neque maiora, neque minora. Sed hoc non semper est laudabile, neque in bonis: quia ut dicitur Proverb. 27. Laudet te alienus, & non os tuum. Nec etiam in malis: quia contra quosdam dicitur Isa. 3. Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Ergo veritas non est virtus.

¶ 3. Præterea, Omnis virtus aut est theologica, aut intellectualis, aut moralis. Sed veritas non est virtus theologica: quia non habet Deum pro obiecto, sed res temporales. Dicit enim Tullius \*, quod veritas est, per quam immutata ea quæ sunt, aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Similiter etiam non est virtus intellectualis, sed finis earum. Neque etiam est virtus moralis: quia non consistit in medio inter superfluum, & diminutum. Quanto enim aliquis plus dicit verum, tanto melius est. Ergo veritas non est virtus.

Sed contra est, quod Philos. in 2. & in 4. Ethic. \* ponit veritatem inter ceteras virtutes.

**RESPONDEO** dicendum, quod veritas dupliciter accipi potest. Vno modo, secundum quod veritate aliquid dicitur verum: & sic veritas non est virtus, sed obiectum vel finis virtutis. Sic enim accepta, veritas non est habitus qui est genus virtutis, sed æqualitas quadam intellectus, vel signi, ad rem intellectam

568

1. q. 16. 2.

4 ad 4. et

9 17. 2. 1

cor. Et 3.

d. 34. q. 1.

ar. 2. cor.

co. 2. 69

4. d. 16. q.

4. ar. 1. q.

2. co. et d.

17. q. 3. a.

2. q. 3. co.

¶ Ver. q.

1. a. 3. ad

12.

\* cap. 7.

l. 2. de i-

uentione,

in f. 4. an

te fin. lib.

l. 2. c. 7. et

li. 4. co. d.

c. 7.



9 16. a. 1.  
 9 9. 21.  
 ar. 2.

lectam & signatam, vel etiam rei ad suam regulam: ut in primo habitum \* est. Alio modo potest dici veritas qua aliquis verum dicit: secundum quod per eam aliquis dicitur verax. Et talis veritas, siue veracitas, necesse est quod sit virtus: quia hoc ipsum, quod est dicere verum, est bonus actus. Virtus autem est quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa procedit de veritate primo modo dicta.

Ad secundum dicendum, quod confiteri id quod est circa seipsum, in quantum est confessio veri, est bonum ex genere. Sed hoc non sufficit ad hoc quod sit virtutis actus, sed ad hoc requiritur quod ulterius debitis circumstantiis vestiatur: quæ si non obseruentur, erit actus vitiosus. Et secundum hoc, vitiosum est quod aliquis sine debita causa laudet seipsum, etiam de vero. Vitiosum est etiam quod aliquis peccatum suum publicet, quasi se de hoc laudando, vel qualitercumque inutiliter manifestando.

Ad tertium dicendum, quod ille qui dicit verum, profert aliqua signa conformia rebus, scilicet vel verba, vel aliqua facta exteriora, aut quascumque res exteriores. Circa huiusmodi autem res sunt solæ virtutes morales, ad quas scilicet pertinet visus exteriorum membrorum, secundum quod fit per imperium voluntatis. Unde veritas non est virtus theologica, neque intellectualis, sed moralis. Est autem in medio inter superfluum, & diminutum, dupliciter. Vno quidem modo, ex parte obiecti. Alio modo, ex parte actus. Ex parte quidem obiecti: quia verum secundum suam rationem importat quendam æqualitatem. Æquale autem est medium inter maius, & minus. Unde ex hoc ipso quod aliquis dicit verum de seipso, medium tenet inter eum qui maiora dicit de seipso, & inter eum qui minora. Ex parte autem actus medium tenet, in quantum verum dicit, quando oportet, & secundum quod oportet. Superfluum autem

con-



conuenit illi qui importunè ea quæ sua sunt, manifestat. Defectus autem competit illi qui occultat, quando manifestare oportet.

ARTIC. II.

*Utrum veritas sit specialis virtus?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quòd veritas non sit specialis virtus. Verum enim & bonum conuertuntur. Sed bonitas non est specialis virtus, quinimmo omnis virtus est bonitas, quia bonum facit habentem. Ergo veritas non est specialis virtus.

569  
4. d. 16. q.  
4. ar. 1. q.  
2. cor.

¶ 2 Præterea, Manifestatio eius quod ad ipsum hominem pertinet, est actus veritatis, de qua nunc loquimur. Sed hoc pertinet ad quamlibet virtutem. Quilibet enim virtutis habitus manifestatur per proprium actum. Ergo veritas non est specialis virtus.

¶ 3 Præterea, Veritas vitæ dicitur, quæ quis rectè viuitt: de qua dicitur Isa. 38. Memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto. Sed qualibet virtute rectè viuittur, vt patet per diffinitionem virtutis supra positam\*. Ergo veritas non est specialis virtus.

1. 2. q. 55.  
ar. 4.

¶ 4 Præterea, Veritas videtur idem esse simplicitati: quia verique opponitur simulatio. Sed simplicitas non est specialis virtus, quia facit intentionem rectam: quod requiritur in omni virtute. Ergo etiam veritas non est specialis virtus.

SED contra est, quòd in 2. Ethic. connumeratur alijs virtutibus.

RESPONDEO dicendum, quòd ad rationem virtutis humanæ pertinet quòd opus hominis bonum reddat. Vnde vbi in actu hominis inuenitur specialis ratio bonitatis, necesse est quòd ad hoc disponatur homo per specialem virtutem. Cùm autem bonum, secundum Aug.\* in lib. de Natura boni, consistat in ordine, necesse est specialem rationem boni considerari ex determinato ordine. Est autem quidam specialis ordo, secundum quod exteriora nostra, vel verba, vel facta, debite ordinantur ad aliquid: sicut signum

5. 3. 10. 6.